



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Cap. X. Libri, qui non exstant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

## CAP. X.

Libri, qui non exstant.

DE Corpore tantum est: nec ab eo nobis fructus: ab animo maximi, & per Indicem videamus. Scripta enim eius exstant multa, plura non exstant: & hæc, quod cruere potui, hîc dabo. Perierunt igitur, primùm

VERSUS eius & poemata, quoscertum est vbertim scripsisse. Ipse in exilio fecisse ostendit, & Tacitus, iam etiam senioem, & in Aulâ. Ita enim invidi calumniantur apud Neronem: *Obijciebant etiam, eloquentiæ laudem vni sibi ad-* Lib. XIII.  
*sciscere, & Carmina crebrius factitare, postquam Neroni amore eorū venisset.*

ORATIONES, siue causarum Actiones. Egit multas & illustres, atque in ipso Senatu: vt omittam quas Principi scripsit, in Senatu item recitandas. Neque dubito *Edicta* ad populum, & *Epistolas* grauiores, ab illo conscriptas, aut dictatas: quorum omnium leuis memoria superest, & tulit, vt solet, æuum.

DE TERRÆ MOTV liber, quem iuuenem se scripsisse ipse testatur vi. Nat. Quest. cap. IV. Non desideres, quia eamdem materiam, in iisdem Questionibus, retractauit.

DE MATRIMONIO. Fueritne liber, an Epistola, nescio: sed citat Hieronymus adu. Iouinian. lib. I.

HISTORIA, aut compendium. ex Lactantij vii. cap. xv.

DE SUPERSTITIONE liber, haud dubiè inter sapientes. Laudat & excerpit quædam Augustinus vi. De Ciuit. Meminit & Tertullianus in Apologetico.

DIALOGI. quos Fabius nominat, nec vltra.

MORALIUM libri. Lactantius citat lib. II. cap. II. atque alibi, & ipsemet noster epist. c. vi. initio, & epist. c. IX. Scripsit in extremo, vt inibi apparet: ò insigne opus, & lugeo interreptum.

EXHORTATIONVM libri. Plures enim fuerunt, è Lactantio, & Fragmenta nostra vide. Hoc ipsum quis non inter egregia operum censebit reponendum? Sunt alia, sed quæ incertò ad hunc referas: vt *Notarum* libros, qui patris magis fuerunt. Item *De Causis*. Ita enim scriptor innominatus Rerum Britannicæ: *Seneca De causis commemorat, Catonem oratoris officium desinientem dixisse, Orator est vir bonus dicendi peritus.* Sed is quoq; Patrem spectat, & sunt Controuersiarum libri: in quorum primo, Præfatione ipsâ, hoc Cato nis reperies ibi citatum. Siquid me etiam fugit, in Fragmentis reperies: etsi minora non tam effugiunt, quam patior elabi.

Sed heus, EPISTOLAS ad *Diuum Paulum* non memoramus? Quæ nunc sunt, non sunt tanti: imò certum est eiusdem auctoris, & Pauli & Senecæ, illas esse, & compositas à semidocto in ludibrium nostrum. Tentat Latinè loqui, quisquis auctor fuit. Ergo inter se non scripserunt? <sup>a</sup> Hieronymus, <sup>b</sup> Augustinus; atque etiam antiquior vtroque <sup>c</sup> Linus Pontifex, asserunt, & passiuâ opinio olim fuit. Atque adeo <sup>d</sup> Io. Sarisberienis fortiter: *Desipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.* Itaque reiicere hoc totum & calcare non ausim: fuerint aliquæ, sed aliæ: si istæ, requiro iudicium optimorum Patrum. Sed quid alij etiam de Senecâ, videamus.

<sup>a</sup> De scriptoribus  
Eccles.  
<sup>b</sup> Epist.  
LIII. ad  
Maced.  
& vi. De  
ciuit. c. X.  
<sup>c</sup> De pas-  
sione D.  
Pauli.  
<sup>d</sup> Lib. VII.  
Polyerat.  
cap. XII.

C

DE